

CANONES ALII S. PATRICIO ASCRIPTI.

I.

De iudicio clericorum, ut non sit apud iniquos, aut apud infideles.

Omnis mundialis sapiens, ^a si sapiens sit, non iudicat iudicia Ecclesiae.

II.

De subiectione populi principi.

Ministri vos estis, et unusquisque vestrum principem suum cui assistat et ministrat, timeat.

III.

De poenitentia blasphemantis principem bonum.

Qui murmurat verba blasphemiae contra principem bonum per odium aut invidiam, cum pane et aqua poeniteat septem diebus, exemplo Mariae contra Moysen murmurantis.

IV.

De eo quod incertum sit, utrum priorem gradum episcopus post lapsum recipiat.

Patricius episcopus dicit: Qui sub gradu peccat, debet excommunicari, quia magna est dignitas hujus nominis; tamen potest redimere animam suam post poenitentiam: ad priorem gradum venire difficile. Nescio an non. Deus scit.

V.

De recipienda adultera post poenitentiam, et de quantitate poenitentiae.

Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam uxorem, quandiu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa fuerit et agat poenitentiam, **C**

^a Forte etsi. WAR.

A suscipiet eam, et serviet ei in vicem ancillae, et annum integrum in pane et aqua per mensuram poeniteat, nec in uno lecto permaneat.

VI.

De alienis adveniens ad iudicandum.

Si quae quaestiones in hac insula oriantur, ad sedem apostolicam referantur.

VII.

De poenitentia agenda in ultimo spiritu.

Si quis infirmatur, agat poenitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus.

VIII.

De eo quod insipientes praesesse non debent.

Synodus totius mundi, et Patricius decrevit: Qui insipiens est, nullo modo praesesse liceat, sed sub **B** manu abbatis catholici opus suum exerceat.

IX.

De collectura pecuniae non vituperanda, necessitate cogente.

Patricius ait: Si quis acceperit permissionem pontificis, et collectum sit pretium captivi, non plus exegerit quam necessitas poposcit. Si quid supra remanserit, ponat super altare, et indigentibus detur et captivis.

Item si quis colligit pecuniam sub nomine misericordiae, non audeat spoliare Ecclesiam Dei, sed reges et plebiles, quibus melius est dare quam condere.

SYNODUS EPISCOPORUM PATRICII, AUXILII ISSERNINI.

Gratias agimus Deo Patri et Filio et Spiritui sancto. presbyteris et diaconibus et omni clero, Patricius, Auxilius et Isserninus episcopi, salutem.

Satius nobis negligentes praemonere (quam) cupere quae facta sunt, Salomone dicente: *Melius est arguere quam irasci* (Eccli. xx, 1). Exempla definitionis nostrae inferius conscripta sunt, et sic inchoant.

I. Si quis in quaestione captivis quaesierit in plebe, suo jure, sine permissione, meruit excommunicari.

II. Lectores denique cognoscant unusquisque ecclesiam in qua psallat.

III. Clericus vagus non sit in plebe.

IV. Si quis permissionem acceperit, et collectum sit pretium, non plus exigat quam quod necessitas poposcit.

V. Si quid supra manserit, ponat super altare pontificis, ut detur alii indigenti.

VI. Quicumque clericus ab ostiario usque ad sa-

cerdotem sine tunica visus fuerit, aut turpitudinem ventris et nuditatem non tegat; et si non more Romano capilli ejus tonsi sint, et uxor ejus si non velato capite ambulaverit, pariter a laicis contemnentur, et ab Ecclesia separentur.

VII. Quicumque clericus jussus negligentiae causa ad collectas mane vel vespere non occurrerit, alienus habeatur, nisi forte iugo servitutis sit detentus.

VIII. Clericus si pro gentili homine fideijussor fuerit in quacunque quantitate, et si contigerit (quod mirum non ^a potest) per astutiam aliquam, gentilis ille clerico fallat rebus suis, clericus ille solvat debitum: nam si armis compugnaverit cum illo, merito extra Ecclesiam computetur.

IX. Monachus et virgo, unus ab hinc, et alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant, nec in uno curru a villa in villam discurrant, nec assidue invicem confabulationem exercent.

^a Leg. Est. Sic lib. Cotton.